

CONGRESSUS METES ANNO 2019 DE PERICULIS HODIERNIS QUOAD CIRCUMIECTA ET SECURITATEM

Bernhard SCHWAIGER



PRAEFATIO

Momentum periculorum quoad circumiecta et securitatem in dies crescere constat. Praeter humanas in natura ambienti actiones nobis curae sint et vita bona et copia culturalis socialisve.

Quaestio complicata incrementi oeconomici uniendi cum circumiectis naturalibus protegendis his fere notionibus describi potest:

- res oeconomicae in externa vitalia continuo implectuntur;
- fontium naturalium limitatio nobis semper ante oculos ponitur;
- fontium naturalium limitatio actionibus oeconomicis fines indicat, quorum transgressus mutationes nec desiratas nec reparabiles in naturae servandae aequilibrio comportet;
- munus de externorum tutela in oeconomicis socialibusque augeatur;
- ergodotarium methodi modum in reciprocum revelentur quod attinet ad circumiectorum qualitatem securitatem protectionem.

Naturarum ambientium defensio nunc multis novis quaestionibus solvendis tangitur, inter quas verbi gratia citemus has:

- civilitatis evolutio aquarum consumptionem amplificans aquam fontem maximi momenti esse declarat;
- aquae dispositio et provisio in regionibus urbanis praesertim proficiant quoad facilem aditum et bonitatem;
- pressio oeconomica magna, ut supervenalia in peripheriis urbanis aut centra moderatoria in zonis viridibus erigantur, oppida mire in longitudinem extendit: inde quaestiones novae oriuntur velut terrae structoriae deminutio (quoniam omnia concreto firmantur) sive constructiones spissiores: campi deserti quoque fiunt, i.e. territoria functione pristina omnino egentia;
- molestissimus strepitus in natura ambienti creatus industriis necnon commeatu subterraneo aut ferriviario aut aeronautico;

- purgamenta publica et quaestuaria quemadmodum caute amoveantur;
- diversitatis biologicae amissio.

Exteriorum naturalium defensio societate progrediente, quae oeconomiae minime nocet, et vitae quotidianae emendatio una cum fontium naturalium conservatione postulant ut statum praesentem ab intimo cognoverimus. Causarum sollicitudines gignentium intellectus et earum impeditio (e.g. oneribus variis remotis) mutationes multas secum portabunt: in producendo, in consumendo, in mercimoniis bene adhibendis, in usu secundario, in periculis perennibus refrenandis. Cognitiones tales provocant procul dubio ad fontium aditum meliorem et usum rationabiliorem. Et confectio et comsumptio emendabuntur non legibus impediens sed intellectu provehendente.

Scientiae publicae de natura protegenda auctae fundamento sunt in politica revera efficaci. Quarum rerum intellectus generatim adducet homines consumentes, ut decisiones feliciores faciant. Itaque cives insuper certiores fiunt de iuribus sibi concedendis et vitae qualitas ubique sensim effloret.

Conventus noster quartus internationalis, cui titulus officialis Anglicus *Motivation - Education - Trust - Environment - Safety 2019*, die 20 Maii Bratislaviae / Posonii celebratur. Ibi periti et administratores et homines politici studia sua ad invicem praesentent ut in quaestionibus difficilibus solvendis viae novae inveniantur educatione, rationibus, illuminatione, confidentia: nam agitur de circumiectorum nobis pretiosorum protectione sempiterna.

CONTACT ADDRESS

Bernhard SCHWAIGER
Radio F.R.E.I., Erfurt
Bundesrepublik Deutschland